


**05**

**A**

**490**





L. N. P.  
DE

CIVITATE,  
SUBJECTO  
REIP.

disputabit  
PRÆSIDE

VIRO CLARISS.

M. JACOBO *Wachtlern*

Ser. Elect. Sax. Alumn.

A. & R.

JOHANNES FEURELIUS,

Weissenburg.

*Ad D. 24. August.*

In Audit. Minor.

---

Literis JOHANNIS BORCKHARDI, 1664.

*Wittenberg*



CIVILTATE  
SUBJECTO

R. E. P.  
DISPENSATIONE  
TRIPLO  
TOTO CLAVIS



05 A 490



**A**Ntequam de CIVITATE discurrere incipiamus, dicemus paucissimis, *an in POLITICIS de civitate sit agendum?* Aff. Ratio sumi posset (1) à Politicæ paronymia, quia nomen habet ἀπὸ τῆς πόλεως: ergo & agat περὶ τῆς πόλεως. Posito nomine, probabile est, rem ipsam poni. (2) à politicæ materia s. objecto, quod quando est incognitum, ipsa etiam operatio nec satis intelligi, nec actu fieri poterit; ideoque Averrhoes l.i.c.2. tria in quavis disciplina practica requiri statuit: subjectum, finem & media. (3) à politicæ fine interno & externo. Qui uterque existit in civitate, & expetitur à civitate, & actum consequitur per ac propter civitatem. Exacta itaq; finis ac mediorum notitia, objecti γνώσις necessariò præsupponit: *Finis enim & subjectum materialiter idem sunt.* (4) à politicæ formâ & naturâ. Practica enim civiliter est, h.e. circa operationem πολιτικὴν versatur. Hanc nemo satis intelliget unquam, nisi objectum πολιτικὸν s. πόλιν ipsam probè cognoverit. Ultimò & (5) à deficientia. Nullibi de civitate, præterquam in politicis, quicquam docetur, neq; ab ullâ disciplinarum commodè ac plenè civitas potest explicari. Et hæcenus de necessitate hujus doctrinæ constat.

§. 2. De gradu necessitatis disquiri potest, *an sit necessaria doctrina hæc ad Politicam per se, essentialiter, & propter exigentiam,* ut putat Hornius in Pol. pag. 19. 55. 99. &c. Negatur. Practica n. Disciplina est, adeoque tota ejus essentia πράξεως civilis ἀναλύσει ac repræsentatione absolvitur: quomodo Ethica moralis, Oeconomica domesticæ, Logica Logicæ, sutoria sutoriæ, sartoria sartoriæ &c. Praxis v. seu operatio, in ratione suâ, h.l. nihil aliud est, quàm mediorum usurpatio civilium, qualem finis movet, præscribit atq; determinat. Ad πράξεως itaque formam per se & primò non pertinet subjectum Quod vel in Quod. Illud n. principium operationis est, non ipsa operatio: substantia semper, hæc accidens. Est etiam, quando

1. n. 20  
 2. n. 20  
 3. n. 20  
 4. n. 20  
 5. n. 20  
 6. n. 20  
 7. n. 20  
 8. n. 20  
 9. n. 20  
 10. n. 20  
 11. n. 20  
 12. n. 20  
 13. n. 20  
 14. n. 20  
 15. n. 20  
 16. n. 20  
 17. n. 20  
 18. n. 20  
 19. n. 20  
 20. n. 20  
 21. n. 20  
 22. n. 20  
 23. n. 20  
 24. n. 20  
 25. n. 20  
 26. n. 20  
 27. n. 20  
 28. n. 20  
 29. n. 20  
 30. n. 20  
 31. n. 20  
 32. n. 20  
 33. n. 20  
 34. n. 20  
 35. n. 20  
 36. n. 20  
 37. n. 20  
 38. n. 20  
 39. n. 20  
 40. n. 20  
 41. n. 20  
 42. n. 20  
 43. n. 20  
 44. n. 20  
 45. n. 20  
 46. n. 20  
 47. n. 20  
 48. n. 20  
 49. n. 20  
 50. n. 20  
 51. n. 20  
 52. n. 20  
 53. n. 20  
 54. n. 20  
 55. n. 20  
 56. n. 20  
 57. n. 20  
 58. n. 20  
 59. n. 20  
 60. n. 20  
 61. n. 20  
 62. n. 20  
 63. n. 20  
 64. n. 20  
 65. n. 20  
 66. n. 20  
 67. n. 20  
 68. n. 20  
 69. n. 20  
 70. n. 20  
 71. n. 20  
 72. n. 20  
 73. n. 20  
 74. n. 20  
 75. n. 20  
 76. n. 20  
 77. n. 20  
 78. n. 20  
 79. n. 20  
 80. n. 20  
 81. n. 20  
 82. n. 20  
 83. n. 20  
 84. n. 20  
 85. n. 20  
 86. n. 20  
 87. n. 20  
 88. n. 20  
 89. n. 20  
 90. n. 20  
 91. n. 20  
 92. n. 20  
 93. n. 20  
 94. n. 20  
 95. n. 20  
 96. n. 20  
 97. n. 20  
 98. n. 20  
 99. n. 20  
 100. n. 20

nihil operatur. Hoc v. objectum operationis est, non ipsa o-  
peratio: recipit, suscipit, ac passivè se habet; sed illa activè.  
Et existit actu sæpè, cum adhuc praxis nulla sit.

§. 3. Hinc ex eruditissimo Arnisæo argumentamur ita:  
*Quicquid solum dirigit operationem vel praxin, id absolvit totam  
disciplinam practicam.* At cognitio mediorum ad finem du-  
centium, præcognito fine & subjecto operationis, solum dirigit o-  
perationem vel praxin; E. mediorum isthæc cognitio præsupposita  
saltem aliquâ finis præcognitione & subjecti, absolvit totam disci-  
plinam practicam. Dn. D. Calov. scr. Phil. p. 2. p. 681. & 683.  
Ibi quoq; videantur, quæ ex Zabarella & Aristotele, pro stabi-  
liendô hõc fundamento, laudatus vir adducit. Major  
probat, quia omnis habitus practicus  $\pi\rho\acute{\alpha}\xi\iota\upsilon$  repræsentat, &  
tantum propter praxin addiscitur; quæ si jam cognita est, is  
frustra est. Minorem probat citatus Autor l. c. Et constat ex Ana-  
lyticâ methode. Politica enim resolvit finem in sua principia, h.  
c. media illa, quibus operatio civilis Politicæq; propria fieri,  
adeoq; finis obtineri possit, distinctè tum quoad explicationem,  
tum quoad applicationem idealem declarat. Quid Logice docet,  
præter instrumenta attingendi veritatem? quid Ethicus, præter  
media consequendi S. B. quid Politicus, præter media introdu-  
cendi, regendi, & administrandi remp.? In hõc omne momentum  
totius discipline Practicæ consistit, ut scias, quibus mediis, quomodo  
finem obtinere possis? p. 701. Subjectum itaq; cum non ad Operati-  
onem, ut medium seu operabile,  $\pi\rho\epsilon\alpha\kappa\iota\mu\acute{o}\nu$ , pertineat; sed præ-  
existat & præcognitum præsupponatur; ideoq; ad ipsum essen-  
tialem Politicæ tractatum intrinsecè non pertinet, sed tantum  
 $\pi\rho\epsilon\gamma\pi\alpha\rho\sigma\kappa\epsilon\upsilon\alpha\sigma\tau\iota\kappa\acute{o}\varsigma$  natura ejus præcognoscitur, & quia non  
adeo notum, necessario præmitti, explicari, & ad finem rectè accom-  
modari debet, D. Jac. Mart. pol. p. 13. formaliter verò & per se ad  
absolutè necessariam civilis  $\pi\rho\acute{\alpha}\xi\iota\varsigma$  ἀνάλυσιν & repræsentati-  
onem disciplinarem referri non debet. Quod non est, nisi suppo-  
sitis quædam, id partem discipline non absolvit. D. Calov. l. c.  
p. 684. Malè inter partes referuntur, quæ tantum sunt ἐν τῶν πρῶ-  
των γνωστικῶν, p. 683.

§. 4. Id

§. 4. Id a. nobis (r) opponi posset, quod habet *Hornius*, in *proem. pol. p. 17. malè pro objecto venditari civitatem in sensu materiali: excludi n. sic princeps membrum, quod in Republ. consistat.* At enim fallacia est æquivocationis, cum non tam loquamur de *objecto considerationis*, directò præcipuè, & *adequatò*; quàm de *objecto operationis* seu *subjecto*, ne quis putet, promiscuâ vocis usurpatione nos esse deceptos. Rectè idem: *objectum politica est, IN QUOD politica AGIT; & applicabimus commodè ad CIVITATEM. In HANC enim PER imperium, in SUBJECTUM materialis societatis introductum, constitutam agit Politica. p. 18.* Materialis itaq; societas seu civitas, & *subjectum* est, introductionis & constitutionis: & *objectum* simul, utut *inadequatum*, in quod politica agit.

§. 5. [2] *Civitatem*, seu *materialiter*, seu *formaliter* acceptam, à nullâ aliâ disciplinâ determinari, nec ullibi alias explicari; ideoq; non hic præsupponi, secundum normam *Scientiarum*, aut ad imitationem *Medicorum* &c. *Horn. in pol. p. 21. 22. 27. 99. Resp.* Est fall. consequ. Ex defectu istò, agendum de *subjecto* esse necessariò in *Politicis*, agnovit dudum *J. Mart. l. c.* sed ut de præcognitò: non statim, tanquam de parte *doctrinæ essentialis*. Fundamentum non est *norma Scientiarum*, sed *Methodus & Ratio disciplinarum Practicarum*. Ideoq; necessarium *secundum quid*, ratione *περὶ γνώσεως*, non statim est necessarium *essentialiter*, ratione ipsius disciplinaris *ἀναλύσεως*, ut constat ex antea dictis.

*Equi-  
male oppo*

§. 6. (3) *Mediorum* vocabulò, quod nec *Latinum*, nec *Philosophicum* satis sit, male & inconvenienter partes & instrumenta intelligi &c. p. 50. & 51. *Resp.* Apud accuratos & exercitatos *Philosophos* hic usus vocabuli fati usitatus est: quomodo *Dn. D. Calov.* *Mediorum ambitu*, inquit, *comprehenditur, quicquid ad finem obtinendum requiritur & concurrat.* Ampliori ergo vocis potestate *Media* hic dicimus, ita ut *causas & principia* quoq; comprehendamus &c. l. c. p. 705. Hâc ratione ergò *Imperium* quoq; medium quoddam civile est; *PER* id enim *introductum*, *civitas*, *Horn. p. 18. & respublica, p. 16.* constituitur.

§. 7. His itaque præmissis, consideranda nunc venit *Civitatis* natura seu *definitio*, eaque primum *nominalis*. [1] *Παρω-*

*πολις*. Secundum nonnullos *Civitas* dicitur quasi *civium unitas*, ut habet Tholos. lib. 1. de Republ. c. 3. n. 1. *politice* magis, quam *Grammaticè*. Haud dubiè derivatur à *Cive*, utut Felvvingerus Pol. differt. p. 265. dubitet: siquidem Grammatica derivatio sit, cum omne polysyllabum derivetur ab eo, quod pauciores habet syllabas; id quod h. l. *analogia* confirmat. Sic levitas, brevitās &c. (2) *πολις*. Sumitur vox civitatis (1) materialiter, pro subjecto reipubl. vel nudâ familiarum congregatione, quæ vel adhuc ipsò actu expers, nihilominus capax politicæ formæ s. reipubl. est; vel à nobis ita concipitur, ac si careret formâ, præcisè. Et sic hoc loco accipitur. (2) formaliter, pro fine politicæ, ipsa nempe Republ. (3) Materialiter & formaliter simul, pro subjecto & fine, concretè, videlicet pro ipsâ societatum multitudine civiliter ordinatâ. Sic datur civitas Danica, h. e. totum Regnum, tota Respubl. Danorum &c. vel etiam sumitur (α) in sensu vulgato ac synecdochico, pro locò & urbe; quomodo etiam in jure Canon, *Ecclesia* accipi solet pro templo communiter. (β) in sensu accurato atq; politico, quomodo domus, vicus, pagus, pro hominibus in societatem redactis; sicq; vel *absolutè*, pro certo populo aut certa parte populi, quomodo Cæsar lib. 1. de B. G. c. 12. *omnis civitas Helvetiæ in quatuor pagos divisa est*: i. e. totus Helvetiarum populus. Vel *respectivè*, in respectu ad formam sive Remp. vel *totaliter*, pro republ. tota v. g. civitas Gallica &c. vel *partialiter*, pro incolis, urbem aliquam incolentibus v. g. civitas Weissenburgensis, Wittenburgensis, Hamburgensis &c.

§. 8. *Πολις*: Dicitur, civitas etiam civium multitudo, cætus, congregatio, unitas, lib. 3. pol. c. 2. item societas civilis lib. 1. p. c. 1. item *urbs, populus, respubl.* sed improprie & inadæquatè. Accuratè enim *urbs* notat *locum*; *civitas* *cætum*; *Respubl.* *ordinem* atq; *contextum*. Plura qui vult, videat Felvving. l. c. p. 267. seqq.

§. 9. Schönborn. lib. 1. pol. c. 13. civitatem definit, quod sit *hominum, secundum certas leges viventium, certâ ratione moderatus cætus*. Quem secutus est Reinhardus König in Theatro polit. c. 1. Sed hæc descriptio (1) est *confusa*, quia nec formæ (genericæ



mericæ) s. societatis, nec materię s. familiarum, mentionem distinctam facit. Non enim omnis coetus societas est. (2) *inadequata*: quia societas familiarum, legibus adhuc carentium, certiq; moderaminis adhuc expers, tamen est civitas. (3) *accidentalis*; quia de natura & quidditate civitatis non est, ut sit instructa legibus, aut certa ratione moderata. Ad *formam* id *adventitiam* pertinet: à naturâ civitatis, *in se* spectate, abesse potest, realiterq; distingvitur.

§.10. *Hornius* ita: *Civitas est multitudo hominum, in plures pagos distributa, ut securius & commodius vivatur.* pol. p.99. Per pagos intelligit ambiguè satis *districto aliquos majores, qui notabiles partes civitatis constituent, quomodo Civitas Helvetia in quatuor Pagos divisa dicatur: & quales aliàs, circuli appellentur.* p.98. Talis v. pagorum *distributio* Civitati nec omni competit, nec per se & *συνώνως*, sed saltem quibusdam & *accidentaliter*. Quid si *cohabitent plures pagi*, juxta *Platonis* sententiam, in unô loco, non *circulatim*, non *distributim*, non per *districtus*, certis limitibus *inclusos* divisi; Ergone propterea Civitas non esset? *Agrestem Romuli multitudinem civitatem* appellat ipse, p.100. in plures pagos distributa non fuit. Antiquissimorum temporum *urbes*, quibus imperitavere *Reguli*, civitates appellat, sed ipsis Pagos negat, *ibid.* Omni competere civitati deberet *in universum* & abstractè, si justa eadem & *adequata* esset definitio. *Essentia civitatis, sine accidente, considerari potest ac debet*, inquit p.101. Deinde nec *Multitudinis* vox ea repræsented, quæ alias accuratioribus de civitatis naturâ genericè edisserunt, sub conceptu *Societatis*. Ut latius & angustius hi duo conceptus differunt. Hinc *B. Jac. Mart.* Quare rejicimus primum verbum *Multitudinis*, tanquã genus *REMOTIUS*; quando quidem omnis quidem societas est multitudo, sed non contra, omnis multitudo est societas. Multitudo enim sine *unione & quidem arctiore* istâ esse potest. *in pol. p. 206. & 207.* Melius alibi *Hornius* civitatem *Societatem compositam* appellat, p.96. quæ certe formalitas nec *Multitudinis* conceptu, nec *Definitione* totò exprimitur. Porro nec materiam Civitatis distinctè satis explicat. Civitas enim non tam hominum, quàm familiarum societas est, *J. Mart. pol.*

*Multitudo in plures pagos distributa l. c. et societas appellatur*

*Definitio qd dicitur  
est societas, neq;  
fuit qd est, nisi sit  
in unione & p. 99.*

*Abd. p. 98. dicitur  
2. dicitur hinc in m  
distributio  
est societas, neq;  
fuit qd est, nisi sit  
in unione & p. 99.*

*Est societas  
E. videtur quod dicitur  
dicitur societas.*



l.c. Et servi, & uxores, & liberi *homines* sunt; nec tamen, juxta *HORNIUM*, ad constitutionem civitatis apti p. 97. & 100. Melius civitatem alibi *multitudinem sociorum*, p. 100. & *civium* p. 55. appellat. Distinctius itaque *differentia* conceptus ille exprimi poterat, & debebat, propter *σάφηνεσιν*. Erudita etiam & observanda, quæ de notione *Hominis*, in definiendo statu vel officio, quod homo sustinet, non usurpanda monet *Arnis. rel. pol. l. 1. c. 5. p. 389.* Et ubi deniq; *Sufficientia* conceptus manet, quam de *natura & definitione civitatis esse*, *HORN.* dicit p. 110. Aut hic conceptus de *definitione* non est, aut illa descriptio *imperfecta*. Retinemus itaq; nos Aristotelicam civitatis definitionem, quam sic efferimus: *Civitas est perfecta societas, ex pluribus pagis, omnibus copiis sufficienter instructa, vivendi quidem gratiâ instituta, consistens autem bene vivendi gratiâ.* Ita *Dn. D. Wendeler. ex Aristot. l. 1. pol. c. 2. 7. pol. c. 4. 1. & con. c. 1.* Hæc enim definitio est antiquissima, receptissima, plenissima, facillima, perfectissima, & accuratissima, genere & differentiâ constans.

§. 12. *Genus est Societas*; quæ vox (1) de civitate prædicatur in calu recto, in quid, abstractè, sed quoque proximè & immediatè. (2) latior est definitio: nam & speciebus aliis, simplicibus atq; compositis competit. (3) totam suam naturam & quidditatem definito communicat, adeoq; ipsam illius essentiam, pressius atq; distinctius, quàm cætus vel multitudinis conceptus, utut genericè, declarat.

§. 13. Hæc societas concipi non potest absq; *arctiori quadam unione & largiori communionem*: quam dum concedimus, non illicò quoq; communionem *uxorum ac proprietatum* concedimus. Objicitur quidem Platonis sententia: *tum demum fore concordēs resp. cum sint communes uxores: tunc enim in omnes conjugalis amor diffunderetur.* lib. 5. de rep. Eam jam olim refutavit *Salvianus l. 8. de provid. Dei & Aristoteles l. 2. pol.* Cum verò sapientum paradoxa, secundum proprium sensum, sint orthodoxa: nonnulli sapientissimi Platonis acutifatum, ex annexo ei noemate, putant *allegoricè esse intelligendum: optimam pacatissimamq; tum demum remp. fore, si subditorum non magna*

Defin  
o vixit  
si capu contingit

magna sit inaequalitas, sed ad modum conjugali societati atq; regimi-  
nis, h. e. blandè, comiter, & attemperatè imperium administratur.  
Æquiori animò imperium superioris ferunt subditi, si se quoq; e-  
minus serviliter haberi, imperiiq; capeßendi interdum participes  
fieri, aut ad publicam curam vocari sentiant, *Conring. de nat. sta-  
disp. §. 49.* Sic quoq; mutationum & variationum in imperijs caus-  
sam esse, idem *Plato mystice* dicit; quia in generatione jungatur ses-  
quitercia quinarium: h. e. dissonantiam legum &c. Vid. *Forster. hist.  
jur. civ. p. 4.* Talem ergò statuimus communionem, quæ rectè ra-  
tione fundatur, nec legibus naturæ & alijs virtutibus contrariatur,  
quam æquitas & communis tranquillitas, verbo, bene vivendi ratio  
urget & permittit.

§. 14. Differentia sumitur (1) à proprio, quat. dicitur per-  
fecta societas; & ita differt à societatibus reliquis; quibus omni-  
bus perfectior est. Quod si objicias cum *Acciaj. l. 1. pol. c. 2. tum demum  
saltem perfectam fieri civitatem, cum formam sive remp. accipiat.* Resp.  
*Dn. Cellarius* distingv. inter perfectionem absolutam & compara-  
tam. Civitatem dici perfectam comparatè habito respectu ad do-  
mos & pagos, in *pol. p. 76.* Hoc ita intelligendum esse *Dn. Felwin-  
gerus* inquit: civitati majorem quidem perfectionem non super-  
venire, cum ei ordo inducatur; sed tum eam non esse amplius ci-  
vitatem, sed fieri remp. quomodo corpus essentialiter non perfi-  
ciatur magis, si animam recipiat; sed sit non amplius corpus, verum  
homo vocetur, in *dissert. pol. p. 291.* Verum enim verò satis constat  
ex naturali illa animæ adunitione corpus quammaxime perfici ac  
prorsus informari, sicut id operationes ac denominationes rea-  
les demonstrant. Sic Civitati quoque beneficio inducti imperij,  
omninò perfectio summa supervenit, non materialiter, quia civi-  
tas manet; sed formaliter, quia resp. fit, adeoq; ratione status & exi-  
stentie. Dicitur requirit inesse. Operationes, quas ordinata civitas e-  
dit, adventitiam ejus perfectionem abundè declarant.

§. 15. (2) à materiâ, quæ vel remota; societates simplices,  
*γαμικὴ, πατρικὴ, δεσποτικὴ,* quæ omnes materiam Civitatis in-  
grediuntur, in sensu *diviso* tamen, non in *composito*: in *Natura*, non  
itidem in otiosa *Mentis* præcisione. Vel propior; familiæ seu  
domus, seu perfectiores, seu imperfectiores. Vel proxima; Pagi,  
seu societates, ex pluribus vicis atq; familijs, in uno loco degenti-  
bus

B

bus

*Prof. eij  
resp. impet  
mt*

bus, conſtat. Horn. pol. p. 98. Plures enim pagi cohabitantes unitive ſumpti, à Civitate non differunt rēliter ſeu objective: ſed tantū formaliter ſeu ratione.

§. 16. Citatus Hornius p. 100. negat, ſocietates minores eſſe partes eſſentialis, aut integrantes civitatis, ſine quibus hæc nunquam poſſit exiſtere aut componi. Nec minores tantū, ſed majores quoque. Civitatem, inquit, in univerſam multitudinem ſociorum definiam, licet nec ſervos, nec liberos, aliquando nec uxores, in totā multitudine deprehendā: licet nec vici, nec pagi plures, ad conſtitutionē concurrant. De eſſentia compositionis, & de neceſſitate exigentia id hæud eſſe. ib. Verum enim verò ipſe Civitatis naturam hæc definitione exprimit: eſt multitudo hominum in plures Pagos diſtributa p. 99. Quid v. pagus proprie, ſtrictè, & accuratè? Pagus, inquit, eſt ſocietas ex pluribus vicis conſtata. p. 98. Quid vicus proprie, & accuratè? Vicus, rep. ſtrictè, generaliter nobis eſt multitudo aliqua familiarum in unō locō degentium. ib. Familia ergò ſunt partes eſſentiales, aut integrantes ſaltem, Vici; plures vici, Pagi; plures pagi, Civitatis: nam plures familie vicum, plures vici pagum, plures pagi civitatem formant. p. 99. Ad conſtituendam civitatem familia & ſocietates ſimplices requiruntur p. 110. Ideoq; ſocietas composita eſt, p. 96, eſt quaſi corpus civile, ex membris & partibus ſuis conjunctum; ſocietatibus nimirum ſimplicibus & compositis, p. 56. Minores ſocietates ſunt partes ejus integrantes, p. 109. Quid ergò eſt Civitas formaliter, conſtitutive, definitive? Eſt multitudo hominum in plures Pagos diſtributa &c. p. 99. Quomodo id intelligendum? Sicuti Ariſtoreli quoq; Civitas eſt ſocietas, ex pluribus PAGIS perfecta &c. ib. Hac perfectione Ariſt. ſocietates requirit: ille n. ſubjectū reip. ſunt, p. 17. Hinc Multitudo ſeu civitas cætuſ quidam eſt hominum, conſtans ſocietatibus tam ſimplicibus, quàm compositis. p. 57. Continentur ex ſub conceptu Pagi, quippe qui vicorum ſocietatem infert, & partes plures majoresq; civitatis. p. 98. In pago concurrunt plures vici. p. 99. Hæc atq; alia ejusmodi Autoris eſſata aut non ſunt de eſſentiâ l. integritate civitatis, adeoque malè ad definitionem, formam, & conſtitutionem referuntur & requiruntur; cum accidentalia, mutabilia, & variabilia ſint, ſine quibus eſſentia rei conſiderari poteſt ac debet, p. 101. Ideoque alia definitio, quæ Civitatis naturam perfectè & adequatè ac immutabiliter repræſentetur, erat eſſormanda. Non vagam aliquid & in

Si una familia  
est in vicis  
tot.

18

*in hoc mutabile tradit Politica, p. 46. perpetua est definitio civitatis, reip. majestatis, & similium, p. 45.* Ideoque, quaecunque antea de civitate dixit autor, non *συνωλύτως*, non *universaliter* de natura civitatis propria & specifica *adaquatè* dicuntur; sed tantum de Civitatibus, quibusdã; siquidem aliæ civitates, *sine iis omnibus existere possint & componi*, p. 100. nec ea de *necessitate exigentiæ* sint, ib. *Aut tamen verè & propriè sunt de civitatis definitione, constitutione & essentiã, eamq; quidditivè, definitivè, constitutivè, verè & propriè declarant; tumq; omninò de necessitate exigentiæ sunt, partesq; essentielles, aut saltem integrantes: Manifesta n. contradictoria sunt ingredi, definitionem rei accuratã atq; perpetuã, nec tamè de necessitate exigentiæ esse. Quæ n. de necessitate expediëntiæ sunt, ad benè esse pertinent, absq; quo ipsum esse sæpius invenitur, & sine quibus essentia Civitatis considerari [etiam definiri] potest ac debet.* p. 101. implicat, *ad constituendam civitatem requiri, & abesse tamen ab illã constitutã & compositã posse.* Implicat, civitatem *formari* ex pagis, pagos ex vicis, viros ex familijs, nec tamen vicos & pagos ad *constitutionem* formamque civitatis concurrere. *Immutabilis est essentia, & juxta Scaligerum consistit in ατόμω; esset hoc ac non esset, si essentiam habere aliquid aliam posset.* Essentialia, quidditativa, definitiva, non sunt; quæ se, salvã rei essentiã, habere possunt aliter. Hinc quoque *perpetua esse debet definitio Civitatis, Reip. Majestatis, specierum, & similium, p. 45.* Qualem si dedit autor h. l. *civitas* non erit, quæ *essentiam civitatis*, per allegata verba expressam, non habebit; ideoque prædicata illa *synonymica* erunt ac de *necessitate exigentiæ*: quibus positis, Civitas ponatur, & quibus sublatis, Civitas, quæ talis, tollatur: id quod verissimum. Denique ipse ait: *perfectio & copia abundantia indicant veram civitatem: quare de civitatis naturã & definitione est sufficientia.* p. 100. Sed ubi cætus hominũ, absq; societatibus simplicibus atq; compositis, est, ubi *defectus uxorũ & servorũ*; quæso, quanta ibi *abundantia & perfectio* objectivè & in re ipsã erit? Insufficiëntiã & summã privationẽ arguit momentanea ejo, ni perficiatur, duratio. Sufficientia igitur si de *natura & definitione civitatis*, de *necessitate exigentiæ* est, quidni *familia ac pagi*? Aut falsum erit, sufficientiam illam de *naturã & definitione civitatis esse.*

§. 17. Dicit autem (1) *ne ad familia constitutionem quidem*

necessarias ubiq<sup>ue</sup> esse societas minores. Resp. scilicet omnes, in sensu compositò: d' *sjunctivè* tamen & in sensu *diviso*. Formaliter enim, familia tres personas requirit, p. 96. Ipse inquit: *liberi essentiam familiae constituunt*. p. 99. Ergo nec *sine uxore*, multominus *sine patre*, familia est. p. 58. Familia itaque sine societatibus simplicibus omnibus, *improprie* talis dicitur, *simulacrum* & imago familiae, aut panis sine farina. (2) *paternam societatem nos ipsos non adeo requirere*. Resp. Scil. *secundum quid*, si adiit societas herilis: non *absolutè*. Nam nemo nostrum *familiam* dicet, *unam* simplicem societatem. (3) *Herilem abesse posse*. Resp. Sed non ilicò omnem. Confunditur sensus *compositus* cum *diviso*. Nec hinc argumentari licet ad naturam *Civitatis*. De *naturâ & definitione civitatis perpetuâ* est *sufficiencia*: non de *naturâ & definitione Familiae*. p. 110. & 45.

§. 18. Adducit exempli locò *civitatem Romuli*, quæ *subjectum reip. perfectæ fuerit, sine servis, sine uxoribus, sine liberis*. Resp. Perfecta fuerit resp. *formaliter*, non certe *materialiter & subjectivè*. Agrestis ibi multitudo, eaq; *pauperrima*, potius fuit, quam *Civitas*, univoce loquendo, usitatè, strictè & accuratè. Fiebat talis, cum factâ coalitione pagorum ac familiarum, societates introducerentur; antea saltem *Simulacrum & imago* civitatis. *Nasci* incipiebat civile corpus, & ejus *incunabula* aderant: sed ad *integritatem suam* & adesse debitam *perfectionem* excreverat nondum. Aliàs adduci etiam posset *Amazorum resp.* (saltem per non impossibile) quarum multitudo *subjectum reip. perfectæ fuerit, sine servis, & planè sine viris*; civitas diceretur nimis *abusive* ac *noviter*. Rectè verò cum Arnifæo B. J. Martini: *Civitas non multitudo est singulorum hominum, unius imperio subjectorū*; perinde ut monachi Abbati, collegæ Rectori collegii, servi domino, subjiciuntur: sed *patrum familias* pol. p. 207. Observanda hæc *differentia formalis* est, nec ab *accidentali* multitudinis *collectione*, ad *civitatis, qua talis, essentiam, constitutionem* ac *compositionem* argumentandum.

§. 19. Excusari posse videtur *Hornius*, quod loquatur de via *non ordinaria*. p. 99. At enim (1) *Politica*, inquit p. 27. *hoc sibi negotii datum habet, ut materiam, circa quam occupata est (civitatem) Accurate* proponat. Quomodo? an quoad *viam non-ordinariam*. Neutiquam: sed *secundum naturalem atq; domesticum ordinem, quò multitudo sociorum constituitur*. ib. Aut itaque *non accurate* proponit

nit hæc extraordinaria: aut ad naturalem atque domesticum ordinem hæc extraordinaria pertinebit via, & sic superior constitutio civitatis *adequate* satis definita non fuit. 2. Manet nihilominus essentia, definitio, & constitutio rei *perpetua & immutabilis*, etiamsi *externa* ejus *productio & originatio* vel ordinaria vel extraordinaria esse possit. Quomodo *nihil attinet ad imperij naturam, quocunque tandem modo fuerit quaesitum.* p. 413. Non hoc est, quod est, & quod esse dicitur, si id non est, quod esse definitur, ut constat ex metaphysicis.

§. 20. Placide ergo dimissâ hæc controversiâ, revertimur ad nostrum contextum: quæ ad materiam civitatis refertur quoque *rerum sufficientia, dum omnibus copijs sufficienter instructa* dicitur. Plerisque enim familiis pagisque causa est indigentia, coeundi in civitatē, ut *avtægexδαν* consequi possint. Positisque pluribus pagis in unum, ceu proprium essenziale, sufficientia hæc insequitur, nec in re ipsa facile abesse potest. Quæ cum ex superioribus intelligi possit, pergimus ad *finem*, cujus mentio in definitione facta est. Hic duplex; *internus*, indigentia ac utilitatis, qui appetitum hominis potissimum atque *de facto* movet, quæ civitas vivendi gratia instituta dicitur; & *externus* quæ consistere dicitur bene vivendi gratiâ, *i. e.* propter vitam honestam ac tranquillam. Non enim beata judicatur civitas recte, quæ ex aeris tantummodo salubritate, & soli fecunditate, aut abundantia divitiarum clara; sed quæ Virtutum exempla habet & encomia. Dicitur hic finis ab *Excell. Dn. D. Wendlerô* primarius; de *jure* nimirum. Honestum quippe in qualibet re primariò spectandum. Ideoq; Majestas, tanq. societatis civilis custos, recte ac merito vehementer punit illos, qui furtis, latrociniis, incendiis & c. reip. tranquillitatē disturbant.

§. 21. Hactenus de civitatis *natura & definitione*: *divisio* locum non habet, quoniam civitas non est totum universale, quod species habeat. Pergimus ad *originem*, propriam, naturalem atque domesticam; ex qua civitatis natura cognosci magis potest. Componitur civitas ex pagis, pagi ex domibus, domus ex societatibus simplicibus, quarum prima *Nuptialis*: quæ (1) est, tanquam inter *extrema duo*, inter *marem unum & foeminam unam*, ex *jure divino* Gen. 2 24. Matth. 19. v. 51. Cor. 6. & 7. & c.: Non *jure naturali*, aut *gentium*, strictè sic dicto. (2) *Fundamentum* est facultas contrahendi: quæ requirit plenam *etatem*, tum propter formam seu consensum

sum

sum, tum propter finem seu generationem: ideoque prohibendi à matrimonio sunt Eunuchi, pueri, infantes &c: Et consentiendi *libertatem*: non enim id alteri dare quis potest, quòd in potestate suâ non habet. Prohibentur itaque infani, ebrii &c: Nec deniq; repugnantem *consanguinitatem*, vel affinitatem: prout ex *jure* divino, canonico atque civili alibi docetur. [3] *Fundandi ratio* est actualis consensus, per *sponsalia*, non clandestina, sed *publica*, parentibus nempe & similibus personis consentientibus contractus. Nec n. concubitus, sed consensus, verus & licitus, facit matrimonium. Necessarius parentum consensus est, *jure divino* ac *civili*, non *jure gentium* aut *naturali*. Consumari conjugium dicitur *ἰεργλογία* & nuptiis seu actu convivali; *civili jure*. Surgit inde (4) *Relatum & Correlatum*, sponsus & sponsa in *Re*, Maritus & uxor in *spe*. Quorum *Status & officia* passim describuntur, ex Recta ratione. (5) *Affectio* societatis hujus est *indissolubilitas*, non absolute tamen, sed *secundum quid*. Quia solvi non potest nisi per adulterium & malitiosam ac incurabilem desertionem. (6) *definitio* est hæc: *Maritus*, qui habet uxorem: *Uxor*, quæ habet maritum.

§. 22. Altera societas simplex *Herilis* est (1) inter marem & marem, tanqv. inter *duo extrema*. *Fundamentum* (2) facultas aliquem subjiciendi sub servitute, contracta per victoriam seu captivitatem, unde *emptio & nativitas* insequitur. Illa nititur *jure divino*, non *naturali*, nec *gentium*: hæc *consuetudine gentium* cumprimis. Ideoq; (3) *ratio fundandi* est actualis subjectio, vel victoria, vel emptione, vel nativitate. Sequitur enim partus conditionem ventris. Et surgit inde (4) *Relatum & Correlatum*, Dominus & Servus: de quorum *statu & officio* alibi plura ex morali Philosophiâ. [5] *descriptio* est hæc: *Dominus* est, qui habet servum; *Servus*, qui habet dominum. Hæc ratione, quoad ipsum *societatis* statum naturâ, h. e. *jure naturali*, nec servus datur, nec dominus: ideoque nec servitus talis *contra jus naturale* est. Moraliter tamen ac Ethice dantur multi domini, multi servi *naturâ*, h. e. quoad animi l. corporis conditionem, naturæ ductu vel instinctu, non ex obligatione juris naturalis.

§. 23. Tertia societas simplex, *Paterna* (1) est inter marem & marem, in *masculino καὶ ἐξοχήν*; in *singulari ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ*, non *exclusive*. (2) *Fundamentum* est facultas procreandi, & quidem *sibi ipsi*, non alijs. Hinc hæc societas non est inter servum & ab eo pro-  
 erra.



creatos. Hinc sæpe maritus pater non est, ob defectum fundamenti. (3) *Fundandi ratio* est actualis liberorum susceptio: sic enim Potestati patris subjicitur, quicquid ex matris ventre nascitur. Hinc (4) surgit *Relatum & Correlatum*, Pater & Filius. Vocabulum *patris* non excludit penitus matrem. Vide *Cellar. pol. p. 54.* (5) *Descriptio* est hæc: *Pater*, qui habet filium: *filius*, qui patrem. De *statu & officio* utriusque docetur passim ex moralitate.

§. 24. Inæqualitas illa, quæ inter patrem & filium, dominum servum, maritum & uxorem est non dependet causaliter ex *jure naturali l. gentium*: Sed ex *peculiari ordinatione divina*. Imperium enim in creaturas primò *DEUS* habet; id *radix & fundamentum* omnis illius inæqualitatis, quàm divinitus concessum & communicatum imperium inter homines causatur. Accurate discurret *Hornius* hæc de re in *pol. p. 71. 130. &c.*

§. 25. Coniunctis societatibus simplicibus fit *Domus seu Familia*, cujus caput & quasi princeps *Paterfamilias*. Hæc societas *composita* dicitur, quia ex simplicibus, si non semper omnibus tribus, duabus tamen componitur, ideoq; *ad minimum tres personas* continet. *Horn. l. c. p. 96.* Hic ipse *vehementissime* dicit errare eos, qui servum pro *essentially familia parte* agnoscant, *liberos autem pro integrantibus p. 97.* Liberos tamen *essentials familia partes esse, absolute, rectè* negatur. *Respective autem & finaliter*, quæ beneficii familia civitas produci debet ac conservari durareq; conceditur. Huc respicit *Hornius*: illi verò de familia loquuntur *absolute ac formaliter.* *Quoties dua aut tres societates simplices concurrunt, familia seu domus componitur*, inquit *p. 96.* Subsumo: *quoties societas nuptialis & herilis, absente paternâ, concurrunt; toties dua societates simplices concurrunt.* Ergò etiam *ex duabus illis, absente paternâ, familia seu domus componitur.* Hinc rectè idem: *Liberi ad constitutionem familia minus requiruntur, p. 100. & 101.* Quando a. *urgit: liberi essentiâ familia constituunt, quod horum multitudine, quasi novis colonijs, multiplicentur cognationes, quæ civitatem tandem faciunt. p. 97. 98. Resp. 1.* Liberi essentiâ quoque civitatis constituent, quod horum multitudine, quasi novis colonijs atq; civibus, multiplicentur cognationes & societates, quæ civitatem tandem conservando ac propagando quasi denuò faciunt: adeoque societates simplices partes civitates essentielles erunt. Ut enim liberi familia conferunt *benè esse seu durationem*: Sic  
| etiam

etiam familiae Civitati 2. Respicit verò Autor externum finem, & durationem, quæ tandem fieri civitas debet. Sed sine iis essentia rei considerari potest ac debet. p. 101.

§. 26. Quæritur; an paterfamilias habeat jus vitæ & necis in inferiores? Negant communiter. Hornius affirmat. Loquuntur autem illi de societatibus minoribus ac domibus, quæ in civitatem ordinatam, nostro tempore, coaluere, respectivè. Huc enim tendunt rationes ipsorum. Hic absolute, quæ extra civitatem, extra civile imperium existant. p. 64. & c. Contradictio proinde non est; nam non de eodem.

§. 27. Conjunctis familijs fit pagus. Alij alios intermedios conceptus ponunt, præter necessitatem. Tribuit pago gubernandi aliquam formam Dn. D. Wendeler. ex Arist. i. pol. c. 4. cum tamen æquales vivant homines, familiarum nimirum patres, Horn. pol. p. 105. Non autem tribuitur pago forma civilis, sed domestica, quæ à natu maximo administratur; neq; pago, quem vocant, heterogeneo, sed homogeneo, sive tali, qui quasi-colonia domus est, ut habet Dn. D. Wendeler. phil. pr. c. 6. §. 5. & 6. p. 185.

§. 28. Conjunctis deniq; pagis fit civitas, quæ ad priores societates se habet, ut totum & partes, inquit Dn. D. Wendel. l. c. p. 168. Hornius autem Civitas nominari aliquod totum, nisi cum ingenti vocis abusu, haud potest. in pol. p. 163. Sed ipse excusat loquendi modum talem ita: Vocabulum PARTIS cum laxitate eximia capiendum est, & excusandum per ANALOGIAM & Similitudinem, ne quis largiorem loquendi modum inaccusationis accuset. p. 56.

§. 29. De causa impulsivâ quæri solet, cujus instinctu homines ita paulatim coaluerint? Sed ea satis diduxit Hornius in pol. p. 101. q. hoc igitur stet littore puppis.

Soli DEO Gloria,

*Ad Humanissimum Dn. Respondentem, Amicum meum.*

**F**EURELIIUS noster cathedram conscendit amicus,  
Ut Sophiam rectè se didicisse probet.  
Successus magnos magnis conatibus opto,  
Jactitet ut civem patria chara bonum.

Michael Wendelerus, D. & P. P.

**A**ssiduus quidni fructum labor adferat istum?  
FEURELI, in DOMINO macte vigore tuo

*l. f.*

PRÆSES.

05 A 490

ULB Halle 3  
004 207 912




56

DA







39

L. N. J.  
DE  
**CIVITATE,**  
**SUBJECTO**  
**REIP.**  
disputabit  
PRÆSIDE  
VIRO CLARISS.  
**M. JACOBO Wächter**  
Ser. Elect. Sax. Alumn.  
A. & R.  
**JOHANNES FEURELIUS,**  
Weissenburg.  
Ad D. 24. August.  
In Audit. Minor.

Literis JOHANNIS BORCKHARDI, 1664.

*Wächter*

